

L I V O N I A

vulgo

L Y F L A N D.

Situs.*Termini.*

IVONIA ad Eoum maris Balthici littus, centum & viginti milliaribus Germanicis, à Narva emporio, usque ad Croni fluvii, quem Memelam hodie vocant, ostium porrecta, finitimos habet ab or-

tu Moscos seu Russos; à meridie Lithuanos & Borussos; ab occasu mare Balthicum; à Boreo sinum Finnicum & Russiae partem, ad Nervæ & Lovatæ fluviorum exitus.

*Nomen, &
populi veteres.*

De nomine sic Althamerus: *Fieri potuit, ut à Lemovii progesi sint Livones seu Livonii, postremi Germanorum ad litus Veneticum, ad parallellum Scandinavia insule, qua Gödtlandia dicitur, habitantes, quos tamen ab Estuis mallem derivare, vocabulo vulgari non-nihil suffragante, Eysflender vocantur.* Levonorum mentio fit apud Ptolomæum l. 11, cap. xi, paullo post ubi de Aestis sermo fit, inquiens corruptam Taciti lectionem restitutam à Beato Rhenano, qui reposuerit Aestiorum gentes. Si archetypus, inquit Althamerus, habuit Estuos, ausim jurare Eysflandios ab iis nuncupatos, vocabulo paulum variato. Hi populi etiam Sudini dicuntur, & eorum regio Sudina, Prussia cohærens. Lætunos quoque eodem reponere placet nonnullis, à quibus fieri potest ut nomen derivatum sit.

*Regionis in-
doles.*

Regio omnis plana, ac fertilissima est. Fru-
mentum tanta copia profert, ut in annonæ cari-
tate vicinis quoque regionibus opem ferat. Ab-
undat etiam lino optimo, ac armenta alit plu-
rima. Ursos præterea in sylvis habet, alces, vul-
pes, lynxes, martes, zebellos, hermelinos & ca-
stores. Lepores pro anni tempestate colorem
mutant, haud secus atque apud Helvetios in
Alpibus; hieme sunt albi, aestate cinericei. Es-
que ferarum tam frequens ubique venatio, ut
ea ne rusticis quidem, licet à Nobilitate crude-
liter habitis, unquam interdicta sit. Ceterum
nihil Livoniæ deest eorum quæ ad vitam suf-
tentandam necessaria sunt, excepto vino, oleo,
& quibusdam aliis, quæ mitiori cælo subiectis
terris concessa divinitus, quæ tamen ex aliis re-
gionibus abunde advehuntur.

*Majorum
Imperium,
& Christia-
nismissus.*

Anno 1160 primus commerciis harum gen-
tium, & deductionis coloniarum in Livoniæ
Germanicarum aditus, per Bremenses merca-
tores, tempestate in sinum Livoniæ, ad Dunæ
ostium delatos, patescens est. Vbi post primam
expeditionem cum Livis, à Dunæ ostio versus Parno-

viam in littore habitantibus, amicitiam & fœ-
dera pro se & mercatoribus, quos deinde ad-
ducturi essent, fecerunt, ac prima cum eis com-
mercia rerum permutatione fuerunt. & per-
missu Livonum, in Dunæ fluvio insula facellum
exstructum, quæ Kirholm deinceps appellata
est. Postea Menardo, Segebergensi monacho,
per mercatores in Livoniæ adducto, latius re-
ligio Christi propagata, & Livones quidam re-
guli, ut nominabantur, cum suis familiis, con-
versi sunt, quibus, episcopum potentibus, ille
ipse Menardus, per Alexandrum 111 P P. an-
no 1170 præfectus, ac sedes illius in Vxkel, ad
Dunæ ripam, collocata est, ubi tandem decessit.
Successor illius, Bertholdus, ex monasterio S.
Pauli Brema missus, cum vi & armis cogere po-
tius, quam verbo ac exemplis invitare ad fidem
Christianam barbaros institueret, statim ab il-
lis trucidatur. Albertus, tertius episcopus, ur-
bem Riga exstruxit ac moenibus cinxit anno
1200. Anno autem 1234 Albertus quintus epi-
scopus, fuit primus Livoniæ & Borussiæ archie-
scopus, constitutus. Cū enim Livonica militiae
fratres se Teutonici ordinis magistro in Boru-
ssia subjecissent; vicissim Borussiæ episcopi War-
miensis, Samiensis, Pomezanensis, Culmensis,
Livoniae archiepiscopum Rigensem metropo-
litanum agnoverunt. Postea misere cum exter-
na tum intestina bella Livoniæ vastarunt, &
vicini Reges Moscovia, Polonia, Suecia, Da-
nia, & cæteri circum Dynastæ discerpserunt, quo-
rum historiam apud Chyträum videre est. Ho-
die vero tota soli Suecia subiecta coronæ est.

Dividitur Livonia universa in tres partes, lo-
cis & linguis distinctas. ESTHIAM, LETTIAM,
& CVRLANDIAM.

Esthiorum provinciæ sunt, *Harria*, cuius me-
tropolis est *Revalia*, ad mare Balthicum aquilo-
nem versus sita, nihilo Riga inferior, anno 1223 *Revalia*,
à Rege Daniæ Waldemaro condita, & portu
celebris. Cives jus habent Lubecense, mone-
tamque cùdunt quadrangularem, probe muni-
tam esse inde constat, quod à Moschis, uti sa-
pissime, ita pridem anno 1577, obsidione cin-
cta, & assiduis ac horribilibus tormentorum
fulminibus, & globis ignitis in tecta vibratis,
totas sex hebdomadas irrito conatu oppugna-
ta sit. *Wuria*, in qua Wesenberg, Tolsburg, Borc-
holm Episcopi Revaliensis sedes. *Allantakia*, ubi
Nerva & Nyschlot ad fluvium ejusdem nomi-
nis, qui Livoniæ à Moschorum ditione diri-
mit. Anno 1551, cum Russica commercia Reva-
liae annis circiter quinquaginta præcipue exer-
ceri, & Russis mercatoribus cum Germanis seu
trans-